















BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

ΟἸΚΟΝΟΜΊΑ

SIGNORVM REBVS CREATIS INDITORVM, QVIBVS CORPORA NOSTRA IN NOVISSIMO DIE VERE RESVRRECTVRA DEMONTRATVR,

CARMINE REDDITA,

ET SCRIPTA

AD EXIMIAE PIETATIS ET ERVDITIO-NIS VIROS DN: PRAEPOSITVM PROVINCIA-LEM, OMNESq; VERBI COELESTIS MINISTROS IN PROVINCIA VVINDINGIANA FIONENSI, DOMINOS MEOS OMNI ADMINI-STRATIONE DEBITA COLENDOS

A

LAVRENTIO MATTHIAE NYBVRGENSI.

SVRGITE

MORTVI



ET VENITE

AD IVDICIVM.

HAFNIAE TYPIS ANDREAE GVTTERVITZII. 1578.

DOCTRINA, PIETATE, CÆTERISq;
VIRTVTIBVS VIRIS PRAESTANTIBVS,
DN. PRAEPOSITO PROVINCIALI, OMNIBVSq;
VERBI DIVINI MINISTRIS IN PROVINCIA
VVINDINGIANA FIONENSI, DOMINIS
SVIS PERPETVA ANIMORVM
SVBMISSIONE CO-
LENDIS

S D.

Salue Thespiadum prænuncia fama sororum,
O Honor, ô patriæ gloria magna meæ,
Doctisonis semper musis vt rite fauetis,
Sumite sic placidè quæ mea Musa canit.
Sacra canit quoniam vobis scit sacra placere,
Qui fertis summi dogmata sacra dei.
Salsa minus quamuis sunt hæc munuscula, mentis
Vestræ quam donis æquiparare queant:
Spero tamen mentem vos omnes cernere nostram,
Ingenium languet, mens mea prompta manet.
O si quos lusi versus nos inter, amici,
Firmum sint veræ fœdus amicitiæ.
Quod super est oro dominum de pectore toto,
Viuatis faustos, Nestoreosq; dies.

L. M. N.



DE SIGNIS REBVS CREATIS A DEO INDITIS QVIBVS CORPORA NOSTRA IN NOVISSIMO DIE VERE RESVRRECTVRA DEMONSTRATVR.


Errigenûm dubios casus, variosq; dolores,
Quis memori quæso voluere mente potest?
Vt primum æthereas geniti prodimus in auras,
Conscia mens mortis, fata nefanda gemit,
Donec & incertæ soluuntur vincula vitæ,
Sors mouet aduersas irrequieta vices.
Vnde hæc? ex vetiti morsu sunt talia pomi,
Quo genus humanum dicitur esse reum.
Ilias hoc tetro deuenit fonte malorum,
Hinc est quòd tristi nemo dolore caret;
Hinc est quòd frigus mortales vexat iniquum,
Vrget permultos hinc malesuada fames.
Innumeri morbis hinc & capiuntur acerbis,
Morbus principium est, sic quoq; finis erit.
Magna hominum pars clauda sata est, pars nascitur orba
Auditu, sine quo non viget vllus honor.

Perpetuisq́; manet (mirum) pars cæca tenebris,
Quid multis? viuit nullus in orbe liber.
Necesse est igitur vitam restare beatam,
Qua poßint iustis gaudia firma dari.
Hac pius in terris spe pressus mole malorum
Se leuat, infirmis hoc medicamen erit.
Christicolæ hac vita tristi nam sorte premuntur,
Impius ast fausto sydere cuncta tenet.
Cur veniet tempus quo corpora nostra resurgent,
Et capient iusti, regna corusca Dei.
Altera sed sæuis sedes est facta tyrannis,
Nam phlegetontiacis hi crucientur aquis.
Ast aliquis dicat, te contra sæpe fatentur
Multi, quod maneant corpora semper humo:
Dicentes animis saltim cœlestia dona,
Tartareosue lacus pro ratione dari.
An non credendi studio magno atq́; fideli,
Dogmata qui vulgus talia rude docent?
Vera quidem dicis, blaterent quod talia stulti;
Dicta sed illorum nil rationis habent.
Somnia sunt tantum mendosa, inuentaq́; falsa,
Quæ vomit infernis sedibus ipse Sathan.
Surgere nam tumulis viuentia corpora fœdis,
Biblia veraci carmine sacra monent.

Doctor

Doctor & æternus cœli qui sydera torquet,
Hæc eadem haud ficta voce futura refert.
Hinc etiam certò præludia firma recusant,
Perpetuas terris corpora habere domos.
Approbat hoc præstans domini surrectio Christi,
Omnibus hæc iustis causa salutis adest.
Vitam immortalem referunt quoq; fœdera bina,
In se nam gestant viscera nostra Deum,
Quid moror? & rebus sunt signa impôsta creatis,
Mortem quæ somnum corporis esse probant.
Quàm bonus est Dominus, quam mitis rector olympi,
Quàm variis homines diligit ipse modis.
Quàm patris firmum summi bonitatis adeptæ
Iuditium, de quo talia signa fluunt.
Talia signa fluunt, natura cernere rerum,
Vnde licet liquidò, non dubitante fide:
Corpora quod tandem tumulis post fata resurgent,
Et gelida nunquam postea morte premi.
Hæc igitur saltim terrenis indita rebus,
Omißis reliquis ordine signa canam.

Aspice phœnicis rediuiui signa decora;
Perpetuam vitam quæ superesse monent.

Inter Thurilegos Arabas vbi vixerit annos
Permultos, Cupiens tristia fata sequi:
(Annos sexcentos bissenaq; viuere lustra
Phænicem siquidem pagina docta docet)
Partitis nidum lingnis hic construit altum,
Quæ summa rostro sedulitate legit.
Constructas dinceps moriturus scandit in ædes,
Extremum vitæ claudit & ille diem.
Funeribus vermes putridis nascuntur olentes;
Nunc cunis serpit, qui volitâre prius.
Vermibus ast illis tandem (mirabile dictu)
Phœnicem dicit fama venire nouum.
Funere de patrio cui corpus nascitur, atq;
Consimilem formam cum genitore gerit.
Certius hæc certo monstrant consurgere nostra,
Extremo tumulis membra nouata die.


Sic glacialis hyems canos vbi fecerit agros
Lymphas marmoreo iunxerit atq; gelu;
Pars volucrum ad puteos volitant, cæcisq; cauernis
Pars latet, expertes frigoris esse queant.
Vpupa, cum sturnis, & nuncia veris hirundo,
Et plures, scriptis quas memorare licet:

Hæ

Hæ, cum brumali canescat terra pruina,
Merguntur madidis sponte suapte locis.
Atq; solum, glacies, grando, vestesq; niuales,
Defuncti in morem corpora dura tegunt.
Aureus ast tepido phœbus cum vere ministret
Flores, & campos fertilis ornet humus;
Surgunt quæ tetris pariter latitâre sepulcris,
Ac plumas torrent, quas madefecit hyems.
Hinc rapidis liquidum volitant super æthera pennis
Cantantes summo iubila grata DEo.
Certius hæc certo monstrant consurgere nostra
Extremo tumulis membra nouata die.

Qnisquis es auricomæ gemmas hinc conspice syluæ
Et videas oculis plurima grata tuis.
Arboreis frondes, & plantis tempore brumæ
Marcescunt, harum formaq; pulchra perit.
Amißis leuibus foliis qnæ spargit in auras
Æolus, Exanimis nil nisi truncus adest.
Sed ver purpureum rediens, noua temporis ætas,
His vitam tribuit qua caruère prius.
Sic crescunt syluis gemmæ, sic gramina campis,
Sic florent herbæ, ridet & omnis ager.
Certius hæc certo monstrant consurgere nostra
Extremo tumulis membra nouata die.

Quid



Quid cupio syluæ fruticantis dicere formas?
Ipsi mortales signa probata ferunt.
Vngues respiciat proprio de corpore quisquis,
Prolixas capitis conspiciatq; comas.
Cornua candenti ferro scinduntur acuta,
Vulnificus crines corripit atq; chalybs.
Non tamen in nihilum pereunt, correptaue durant,
Sed celeri tandem surgit vterq; pede.
Et simul accipiunt veterem (mirabile) formam,
Apparent eadem quæq; fuere prius
Certius hæc certo monstrant consurgere nostra
Extremo tumulis membra nouata die.

Obscuræ cursus noctis, nitidæq; diei,
Quæ mea musa cupit, ritè futura probat.
Namq; dies & nox, mundi quæ tempora lustrant
Alterna gaudent, ire, redire vice.
Alma dies, Vitreis vbi sol demersus in vndis,
Aufugit, atq; micant protinus astra polo.
Mox abeunt tenebræ, Titan de gurgite vasto
Exurgens, denuo clara diesq; redit.
Certius hæc certo monstrant consurgere nostra,
Extremo tumulis membra nouata die.

Iam

Iam venit in mentem mihi, somnus noctis amicus,
Languida quem vigili membra labore petunt.
Omne animal fermè, toto quod viuit in orbe,
Seu cui sit ratio, seu ratione carens:
Hunc retinet morem, quem (si quid carmina possunt)
Imparibus ludet nostra Thalia modis.
Corpora cum tandem vario sint fessa labore,
Exoptant dulci se requiete frui.
Approperantq; locum, plumis & stramine stratum,
Vt recreent tali membra tenella modo.
OBrepit somnus furisq; cubantibus instar,
Truncus vt abscissus membra relicta iacent.
Hinc illis cupidam (somnus siquidem breuis est mors)
Cum sensu mentem, cernitur eripere.
Corpora sed placida cum sint recreata quiete,
Euigilant, oculis tergitur atq; sopor.
Exurgunt pariter læta, abiectoq; dolore,
Qui moesto membris antè labore fuit.
Tunc manus ad pugnam, tunc pes est aptus eundo,
Omnia tunc alacri membra vigore vigent.
Certius hæc certo monstrant consurgere nostra
Extremo tumulis membra nouata die.

Postremo aggredior ruralia munera, quæ nunc
Disparibus numeris musa canora canet.

B Ruricolæ

Rurikolæ tempus soliti seruare, quotannis,
Attrito findunt vomere sæpe solum.
Hinc manibus rapidis, vbi tempus postulat aptum,
Frugifero mandant semina pulcra solo.
Vt solet exanimis glomerato puluere condi,
Visceribus terræ granaq; tecta iacent.
Obruta versatis quoniam sata pinguia glebis
Sunt, auibus ne sint præda futura vagis.
Soluitur oculta et cereale putredine semen:
Dissolui veluti mortua membra solent.
Ast vbi flamiferos radios Latonia proles
Sparserit, igniferum rexerit atq; caput;
TErrenam calido massam splendore reformat,
Elicit & sulcis, semina operta cauis.
Fœcundas rigidis segetes inspicat aristis,
Maturat valido tumq; calore sata.
Atq; ita telluris gremio quæ clausa iacebat
Antè seges, solidum nunc tegit illa solum.
Plura quidem fateor rebus sunt indita signa
Talia, præterio sed tamen illa sciens.
Quæ cecini certò monstrant consurgere nostra
Extremo tumulis membra nouata die.

Nunc animi compos alta quis mente reponat,
Corpora quod tumulis sint peritura suis?

Ergo

Ergo dum fruimur miseri mortalibus horis,
Mentibus in nostris cœlica vita siet.
Hinc vitam in melius vertamus, iusta colamus,
Et vitet quisquis, quæ deus ipse vetat.
Syncera regem cæli tum mente precemur.
Pectoribus nostris, numina sancta serat.
Est simul orandus, nobis quæ sacra parabat,
Viuifico semper Pneumate dona regat.
Sic superos inter fiet post fata locemur,
Triste vbi principium dulce sequetur opus.
Tunc hilaris lætum cognoscet amicus amicum:
Consocium socius, filius atq; patrem.
Et gnatam genetrix, ibi cernet filia fratrem,
Nec erit infelix his (mihi crede) dolor.
Qui lachrymas etenim mœstas absterget ocellis,
Omnibus omnipotens omnia Christus erit.
O igitur summi soboles æterna parentis,
Pectora saluifico flamine nostra rege.
Deniq; sancte parens, fidei fons, effice nostris,
Mentibus vt crescant spes, pietasq;, fides.
Quo nostrum terris dormit dum putre cadauer,
Cantet sydereis spiritus ipse choris.
Iudiciiq; die læti iungantur in vnum,
Semper captantes dulce leuamen. Amen.

Soli Deo gloria.

~~vnd~~

[illegible] Hannom [illegible]

[illegible] for [illegible]

~~Das [illegible] Megnt~~

Sam. R

